

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 130. Sigismundus Imperator Constantiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

§. CXXIX.

Sæcul. XV.  
A.C. 1414.

*Adventus Legatorum Franciæ.*

**S**ecunda Sessio die præstituto decimo se-  
ptimo Decembris habita non est, for-  
te, quod Imperatoris adventus exspecta-  
retur, ejusdemque præsentia Patribus  
gratissima foret. Plusquam trimestre  
abiit, quin ulla celebraretur Sessio publi-  
ca, sed tantum quædam particulares co-  
gebantur congregations. Præterlapso  
autem hoc temporis intervallo Franciæ  
Legati comitantibus plurimis ejusdem  
Nationis Præfulibus advenerant, ingenti  
pompa excepti; quamvis exterorum Car-  
dinalium nullus illis obviam processerit,  
excepto Vivariensi, cum hic amplissimos  
in Galliis perciperet redditus.

§. CXXX.

*Sigismundus Imperator Constantiæ.*

**N**on multo post ipse etiam Imperator *Vander Hardt tom. 4*  
advenerat, qui vigesima quarta De- cembris pridie Natalis Domini Überlingæ, p. 28.  
quæ uno lapide Constantia distat, diver- *Naucler.*  
terat. Joannes Clumæus comperto Im- *gen. 48. p. 437*  
peratoris adventu pluribus in locis, per  
quæ transire debebat, libellum latino &  
Germanico idiomate conceptum affigit,  
*in quo de gestis adversus Joannem Hus-*  
*sum*

Sæcul. XV.  
A. C. 1414.

sum graviter conquestus, Prælatis, omnibusque hujus facti complicibus extremam Cæsaris indignationem audacter comminatur. Verum Sigismundus parum ea curasse videtur. Itaque eadem adhuc nocte navim concendens cum Barbara Cilleiensi Comitissa ejus conjugi, Elisabetha Bosniæ Regina, Rudolpho Saxonie Rege, Anna de Würtemberg pluribusque aliis primariis utriusque sexus Nobilibus circa quartam vel quintam horam summo mane Constantiam ingressus est; ibique somno paulisper capto Cathedram accessit Ecclesiam, in qua, cum sacra ista nocte summus Pontifex Cæsaris adventum præstolatus primum Missæ sacrificium solemni ritu perageret, Imperator habitu Diaconi indutus adstitit, eoque sacro officio fungens cantavit Evangelium ex capite 2. sancti Lucæ desumptum, *Exiit edictum a Cæsare Augusto &c.* Re divina peracta Pontifex Imperatori gladium obtulit, adhortans, ut eundem ad defensionem Ecclesiæ stringeret. Sigismundus tunc temporis nonnisi quadragesimum sextum ætatis annum agebat, Princeps magni ingenii, naturali eloqua-  
tia præeditus, literatorum Virorum fautor, atque expedita latini sermonis facilitate clarus. Hujus quoque ingens erat fides, & unionis Ecclesiæ studium, cuius præclara in hoc ipso Concilio edidit specimen.

§. CXXII.